Sigismundus primus rex Poloniæ capitaneis terrarum Prussiæ infrascriptis.

Generose fidelis dilecte. Sunt pleræque necessitates istic in terris Prussiæ, quæ communi consultatione indigent, propter quod indiximus conventum in civitate nostra Torunensi pro die sanctæ Barbaræ proximē futuro, hortamurque et mandamus fidelitati tuæ, ut illum proclamari et publicari faciat in omnibus foris et congregationibus populi, oppidorum et aliorum locorum publicorum capitaneatus sui, ipsa etiam tua fidelitas in eodem conventu constituatur, et unà cum consiliariis nostris de iisdem necessitatibus et aliis, quæ per nuntium nostrum proponentur consulat, pro debito suo et gratia nostra. Datum Cracoviæ Dominico die intra octavas omnium sanctorum, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto, regni nostri anno decimo octavo.

| | | |
|---|---|---|
| Capitaneis | Mariemburgensi | Covaliensi |
| | Gnevensi | Coprzyvnensi |
| | Graudensi | Stumensi |
| | Radinensi | Tucholiensi |
| | Działdowiensi | Swiecensi |
| | Rogosnensi | Slochowiensi. |